



PRÆFATIO.

DE
JURE QUOD IN IPSIS
RERUM ARGUMENTIS
OBTINET.



Inis Operis hujus uti & Horarum
mearum subsecivarum primarius est,
ut officii mei labores gravissimi iis-
dem facilitentur, principia firma ex
decisione Causarum abstrahendo stabiliendoque,

quorum applicatione tantum ad facta recurrentia opus, nisi circumstantiæ singulares applicationem eorundem variant, quæ tamen iterum ad novas Doctrinas dictorumque principiorum ampliacionem vel limitationem ansam dant.

Et gaudeo vehementerque lætor, me hucusque finem hunc attigisse, ut cum maximo temporis Compendio in solatium tot partium litigantium, Causis decidendis Operam navare possim, spesque me alit fore, ut Operibus istis auctis, adminiculum hoc quoque augeatur.

Quodsi & aliis in Dicasteriis versantibus, labores isti usui esse possunt, id finis eorundem sit secundarius. Malevolos, Nasutulos & Criticos, qui sæpe sunt ignorantissimi, non curo, contentus optatam primariam contigisse metam.

Pariter atque insimul persuasus sum & eos, qui in Academiis Jurisprudentiæ Pragmaticæ excolendæ & tradendæ student, insignes in hisce Observationibus accessiones deprehensuros, sicque Jus quod in ipsis rerum obtinet Argumen-
tis,

is, nec an
toribus suis p
ratoris conf
voluit, ut f
anime nihil
sed quod in ip
glectis antiq

Multu
larum sensu
apparet, q
notavit b.

Justin
THEODOS
ipsa quoq
evincunt.

Que
vid Jus tar
quod suo t
eo, quo
Republic
bus, form

tis, nec antiquas Fabulas voce Magistra Auditoribus suis proposituros esse, intentioni Imperatoris conformiter, qua §. 3. *Proem. Instit.* voluit, ut studiosorum Juris *tam aures quam animæ nihil inutile nihilque perperam positum, sed quod in ipsis rerum obtinet Argumentis, neglectis antiquis fabulis accipiant.*

Multum in eruendo genuino vocis *Fabularum* sensu desudasse Viros doctos, vel ex eo apparet, quod ad *dict. §. Institut. not. g.* annotavit b. OTTO in *Comment. ad Institut.*

Justinianum vero hoc loco imitatum fuisse THEODOSIUM *de Respons. Prud. in Cod. Theod.* ipsa quoque hujus Tituli verba cum illis collata eyincunt.

Quemadmodum itaque THEODOSIUS illud Jus tantum verum & genuinum declaravit, quod suo tempore usu erat receptum, neglecto eo, quod tempore Ciceronis & stante vetusta Republica in variis ceremoniis, ritibus, solenni- bus, formulis &c. consistebat; ita JUSTINIA-

NUS nonnisi illud Jus pro tali agnovit, quod suo tempore usu obtinuit, nosque tempore nostro, quo multæ Juris Justiniani functiones paulatim in desuetudinem abiire, nonnisi id pro tali agnoscere possumus, quod tempore nostro in ipsis rerum obtinet Argumentis, id est, ad facta in Judiciis nostris obvia perpetuo applicatum, & hodiernum applicari potest.

Quamvis Jus vetus tam Romanum quam Germanicum penitus negligendum esse non conseamus, cum utrumque sicut Jus obsoletum adhuc in Institutionibus nostris comprehensum, innumeris locis in Jure nostro Romano - Germanico explicandis inserviat, ut propterea FABROTUS ad *Paraphr. Theophili* felicem TRIBONIANI prædicaverit perfidiam, qua Jus vetus adhuc Institutionibus inferendo, jussui Imperatoris non obtemperavit: cum è contrario hunc esse unum ex nævis Institutionum Justinianearum, quod multa inutilia comprehendant, ANTONIO MATH. (*Disputat. 24. thes. 87.*) visum fuerit.

Sit maneatque in sempiternum Antiquitatibus Teutonicis sicut Romanis suus honos ususque; absit vero, ut Fabulas antiquas Germanicas præferamus Juri quod in ipsis rerum Romano - Germanicarum obtinet Argumentis, Jusque, quamvis Legibus peregrinis introductis semel quæsitum, ulli auferamus.

Vera autem sit necesse est, Jus illud, quod in ipsis rerum Argumentis obtineat, Legum observantia, nec Praxis erronea, nec ex communibus erroribus consistat, de quibus egregie commentatus JOH. DAN. VON DEN STEENHOFF *Hamburgensis*. Alias locus est monito CELSI L. 39. ff. *de Legibus. quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet.*

Ac proin Jus istud rationibus haud destitutum esse debet, sive sint Morales, sive Politicæ, sive Historicæ sive Legales, ab Analogia nempe Juris recepti petitæ: prout etiam JUSTINIANUS L. 13. *Cod. de Sentent. & Interlocut.*
præci-

præcipit, ut omnes Judices veritatem, & Legum
& Justitiæ vestigia sequantur.

Tunc demum rerum perpetuo similiter ju-
dicatarum autoritas vim Legis habet juxtà *L. 38.*
ff. de Legibus. nomenque veræ Legum Obser-
vantia meretur Jus illud, si ex istis fontibus de-
duci possunt ejus doctrinæ.

Eo in toto hocce Opere cogitationes in-
tendi, & in posterum intendam illud continua-
tur, quamdiu DEUS vitam viresque corpo-
ris ac animi conservaverit.

Faxit supremum Numen ut quæ hactenus
lætissima segete effloruerunt dogmata, in poste-
rum quoque quibusve insultibus superiora per-
sistant. Tuque, quis quis sis Lector, bonæ
Causæ fave, & fruire laboribus animo sincero
susceptis, ac Tecum sine fuce verborumque
ampullis communicatis.



OBSER-



De Dot



per hoc pact
ex dictamine
Vniuerso su
claudat, dor
eodem dicit
bile jure co
§. XXXV.
plus legit
compulset.